Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1055
Quelle:
Copyright:

Vien. Ep. Collegio ſuo ad D. *Nicolaum* donatus, continet PP. Sententias cum de Rebus dogmaticis, tum de moralibus lectas nullo certo materiae ordine. Initium fit a conciliatione quorundam *Pauli* locorum cum aliis Scripturae effatis. Ita: *Paulus Servus Ibeſu Chriſti. Et in euangelio: Non dico uos ſeruos ſed amicos. Et in alio loco dicitur Serui inutiles ſumus* &c. *et iterum Beatus ille ſeruus* &c. *Q. quid eſt quod magiſter chriſtus apoſtolos non dixerit ſeruos ſed amicos et eiusdem magiſtri diſcipulus immo apoſtolus in quo chriſtus loquebatur nominauit ſe ſeruum?* Et tunc ſequitur *Solutio.* Praenotatur *fol.* praeced. manu, ut videtur, *Joh. Alex. Braſſicani: Antilegomena S. Pauli. Hippolyti interprete Epiphanio.* Verum quis *Hippolytus* iſte, quis *Epiphanius? Fol.* 11. p. 2. tanquam deus ex machina comparet Abjuratio *Berengarii Turon.* facta in Concilio *Rom.* a. 1079. prout quidem extat in *Actis* apud *Labbeum* T. XII. apud *Harduinum* T. VI. P. 1. verum inter verba: *ulterius docebo*, et *Sic me deus adiuvet* &c. interjecta ſunt haec: *neque dubitabo, excepta cauſâ reducendi ad uiam ueritatis qui per meam doctrinam ab fide receſſerunt, aut exponendi fidem, quam hactenus tenui, his qui me interrogauerint;* quae non alibi me legere memini. *Fol.* 15. Pontificum *Rom.* quorum Patres Epiſcopi, Sacerdotes, aut Diaconi fuere, Indiculus texitur. *Fol.* 22. inter Maleficorum ſpecies *Saliſatores* memorantur, *qui ex ſaltibus* (palpitationibus, ſpaſmis involuntariis, παλμοις) *membrorum futura perpendunt;* quorum mentio apud *Auguſtinum* et *Iſidorum*, alludentibus *Theocrito* et *Plauto.* Denique *fol.* 54. Schemata Alphabeti graeci et hebraici cum valore literarum numerali e *Rab. Mauro* inſerta ſunt, jam alibi non ſemel indicata. Codicum ejusmodi uſus eſſe poſſit is, ut PP. loca cum Editis contendantur.

CCCCXLIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 379. f. min. per duas columnas charactere luculento, ſatis exotico, multisque vocum compendiis exaratus, minio diſtinctus, olimque, ut praenotatur, *Collegij chriſti*, quod, neſcio, an *Cantabrigienſe*, an *Strigonienſe* dicam, hujusmodi rubro inſignitur: *Incipit manipulus florum ſiue extractiones originalium editus a magiſtro thoma de hybernia quondam ſocio de ſorbona.* Ανθολογια ſacris Oratoribus opportuna, multisque editionibus nota, quarum princeps *Placentiae per Jac. de tyela almanum 1483. f. min.* mihi adjacet. Autor neque *Franciſcanis*, quod voluere *Waddingus* et *Willotus*, nec *Dominicanis*, quod praefert Editio *Veneta per Joh. Rubeum Vercellenſ. Sec. XV. f. a 4.* reſpuit vero *Quetifus* in *Scriptt. O. P.* accenſendus, ex *Hibernia* oriundus, et a quibusdam, absque *Codicum* tamen teſtimonio, *Palmeranus*, *Palmerſtonus* cognominatus, in confiniis Sec. XIII. et XIV. R. 38